TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE DE DYSPEPSIA:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS NEWMAN,

HIBERNUS.

Societ. Med. Phyſ. Edin. Sod. Hon.

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. HOR.

Ad Id. Septemb. hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIII.



317695

Viro ornatiſſimo,

JOHANNI LONGFIELD, M. D.

Artem Apollineam,

Maxima ſibi cum laude,

Summoque generis humani commodo,

Apud Corcagienſes exercenti,

S. P. D.

CAROLUS NEWMAN.

CUM hujuſmodi tentamina juvenilia Viri cujuſdam illuſtris tutelae ſubjicere invaluit conſuetudo, Cui prius hocce, qualecunque ſit, conſecrarem, quam Illi, cujus equidem conſilio, me haſce inviſiſſe terras, et multa in hacce florentiſſima Academia hauſiſſe beneficia, praecipue debeo? Virtutes revera tuas, omnibus notas, dinumerare, cum modeſtia tua, tum meum conatui impar ingenium, prohibent. Accipias haec, Vir digniſſime, Te quamvis, ex calami juvenilis incuria, minus digna Patrono, parvum exiſtimationis teſtimonium, precor.

Vive valeque.

For
Mr. Ledgerwood
fm. his humb. servt.
the Author -

D E

D Y S P E P S I A.

P R O OE M I U M.

VENTRICULUS, omne peregrinum recipiens, et his primam juris civitatis humanae notam imprimens, tam magna ſenſibilitate praeditus, ſingularibuſque dotibus inſtructus eſt, ut non mirum equidem videatur, ſtomachum totius corporis regem veteribus ſalutari.

> Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
> Et contra ejuſdem infirmantur cuncta dolore.

Eſt autem ſympathia haec in praxi frequentiſſima; immo partes a ventriculo maxime remotae, quibus nullum cum eo intercedere videtur commercium, afflictae, motus functioneſque ejus mirifice perturbant. Exempla equidem permulta hujus ventriculi conſenſus facile adduci queant; ſed ita lucide ante oculos ponit quotidiana experientia, ut nemo, niſi omnino caecutiens, eum non videat. Clariſſime ſic, in medicina facienda, apparet neceſſitas

animum sedulo ad ventriculi affectiones advertendi. Nulla vero frequentior occurrit, nec curatu difficilior, hacce de qua, aliquid per almae hujus academiae leges in lucem proferrem coactus, pauca subjicere volo.

DEFINITIO.

Ventriculi functio idiopathice turbata, per Anorexiam, Nauseam, Vomitum, Inflationem, Ructum, Ruminationem, Cardialgiam, Gastrodyniam, et Alvum plerumque astrictam, indicata.

HISTORIA MORBI.

Tam mirum intercedere videtur commercium, ventriculum inter aliasque corporis humani partes, ut omnia in hocce morbo occurrentia symptomata enarrandi difficultas facillime appareat. Praecipua vero sunt; repletionis et ponderis circa ventriculum sensus, cum obtuso sive gravativo praecordiorum dolore, post pastum recrudescente. Interdum tormina vehementesque ventriculi et intestinorum dolores; saepius vero murmura et borborygmi; et licet, per flatus sursum vel deorsum expulsionem, levamen percipiat aeger, ex eorundem tamen proventu rursus opprimitur. Nausea, cum inani ad vomendum conatu, vel etiam ingesti crudi ipsa vomitio, vel materiae biliosae et pituitosae quandoque

quandoque viridis rejectio; frequentius vero acidae, et aliquando tam acris, ut dentes ſtupefacere et fauces excoriare valeat. Appetitus plerumque languet, et etiam cibi averſatio obtinet; ſed interdum auctior evadit. Ructus varii ſaporis, plerumque acidi, adſunt; craſſioris tenaciſque materiae frequens ſcreatus. Sapor in ore faſtidioſus; et lingua ſorditie alba vel lutea obducta, cum ſiti circa horas matutinas, juncta ſaepe tuſſi moleſta. Acris et inflammabilis materiae poſt cibum eructatio. Sunt quoque qui, una vel altera a paſtu hora, placide ingeſta ex ventriculo ad os uſque rejiciunt, et lobatim exſpuunt aliquali cum maſticatione; immo qui iterum ea deglutiunt, ut boves et caprae; unde merito ruminare dicuntur: Et hoc lautiores poſt dapes praecipue accidit. Alvus quibuſdam ſoluta, pleriſque pertinaciter aſtricta. Cardialgia, vel moleſta quaedam ſenſatio, de qua valde queritur aeger, magna cum anxietate, inquietudine, et ſpirandi anguſtia. Cordis palpitatio. In jejuno capitis dolor, praecipue tempore matutino, et vertigo. Faciem modo rubor modo pallor occupat, et poſt prandium maculis rubentibus plerumque ſuffunditur. Pulſus debilis, parvus, et tardus, nonnunquam intermittens. Animi dejectio, et tanta ſyſtematis mobilitas, ut a leviſſimis cauſis maxime perturbetur. Vigiliae non raro pertinaces, vel ſomnus incubo et inſomniis plurimum turbatus. Praeterea languor totum corpus occupat, extremae partes algeſcunt, ſenſimque emaciatur patiens.

MORBI

MORBI THEORIA.

Nulla apud medicos plus invaluit opinio, quam quae omnia dyſpepſiae ſymptomata ex ſaburra aliquali, ſeu cruditatibus in ventriculo latitantibus, oriri ponit. Nihil vero ſaepius in errore fuiſſe creditum, quam mucoſae ſalinae viſcidaeque materiae multitudo; praecipue, quia hujuſce magnam quantitatem plerumque videmus per vomitionem ex ſtomacho rejectam. Ratiocinatio tamen non omnino veriſimilis videtur. Etenim, omnibus in re medica minimum verſatis bene notum, ventriculi tunicam interiorem ſive villoſam undique folliculis confertim ſpargi, a natura ſine dubio conſtitutis, ut mucum, ad officia quaedam in oeconomia animali obeunda utiliſſimum, ſecernerent. Quantitas revera ab hiſce ſecreta non parva; ut plane apparet ab illuſtriſſimi Senac experimento, ad probandum relato, mucum in maſſa ſanguinis communi propria forma exiſtere; et non in folliculis penitus generari. Ventriculo enim bene deterſo, margineque regulae eburneolae raſo, tam prodigioſam muci quantitatem expreſſit, ut, in ejus ſententia, nequaquam in folliculis contineri potuerit; ſed ex vaſis ſecretoriis, etiamque ſanguineis ipſis, derivari oporteat. In praeſentiarum, hujuſce opinionis ſallaciam evincere non conabimur; tametſi mucum, in ſanguine, diſſimili ſub ſtatu, adeſſe, exindeque humoris tenuiſſimi forma ſecerni, demonſtrare non valde difficile foret. Ex hoc tamen evidenter apparet, mucum, magna in quantitate folliculis ſeu vaſis ſecretoriis, reponi; quibus per vomitus

mitus operationem fortiter compressis, valdeque agitatis, partem in ventriculi cavitatem effundi, adeoque aliis cum stomachi contentis rejici, necesse est. At ex eo, mucum in ventriculi cavitate antea innatare, non tamen colligere oportet; folliculi enim facile omnem continerent. Haud equidem inficias ibimus, mucum folliculis effusum, interdum, ventriculi propter imbecillitatem, ingestis non satis dispertiri vel commisceri posse, sic ut portio in ventriculo remaneat; et propterea applicationi stimulorum, qui, ad ventriculi actionem promovendam, appetitumque excitandum, summe necessarii sunt, obviam eundo; simulatque medicamentorum operationem aliquatenus praevertendo, ad morbum adaugendum seu protrahendum symbolam suam conferat. Nobis vero haudquaquam credendum est, omnia dyspepsiae symptomata ad hancce causam releganda: Praesertim, ut nunc satis compertum est, compluribus, quorum ventriculi hacce materia abundare videbantur; emetica (quae, ut saepe aevi perbrevis auxilium praebent, frequenter iterata sunt) ter quaterve singulis hebdomadis adhibita fuisse, muci tamen tantundem postremo rejectum ac post primam emetici exhibitionem.

Nunc quoque consideranda venit stomachi altera impuritas, materiae biliosae quantitas in ventriculo hospitantis; hujusce frequenter, nec non multorum aliorum morborum, pater plurimis nuncupata; aequo ac mucus censeo jure. Non equidem dubitandum, in ventriculo intestinorumque tractu, non solum motum peristalticum deorsum obtinere, sed etiam saepe saepius motum,

prorsus

prorſus ex adverſo, ſeu inſerne ſurſum occurrere, ab ullo, ad canalis alimentarii contentorum exitum, impedimento adaugendum. Hoc igitur in duodeno, quo ductus communis cholidochus inſertus, ſpecialiter accidente, in ventriculum bilem ſaepenumero regredi, neceſſe eſt; et illic non raro adeſſe, bene notum; nullo tamen detrimento ſyſtemati exinde oriente. Sin autem bilis, ventriculo, ingenti copia, ſimulque vitiata, infundatur; tunc equidem, ventriculi functiones perturbando, effectus ſyſtemati noxios inferre queat. Maxime vero cavendum, ne, ex materiae bilioſae vel aeruginoſae per vomitionem rejectione, res magna ex parte ſic ſe habere credamus. Per hancce enim actionem, motus periſtaltici inverſionem magnopere augeri, ductuſque biliarios, et omnia alia excretoria, in ſuperiori inteſtinorum parte dehiſcentia, emulgeri, patet. Et bilem, niſi exhibitione emetici fortioris, ex quo aeger ſaepe vomuerat, rariſſimam apparere; et tunc ad finem ſolummodo operationis nonne plerumque invenitur?

Ex hiſce, mea opinione, non perceptu difficillimum, quanta ambiguitate illa prematur theoria, quae ex ſaburra ſeu cacochylia, ſic frequenter dicta, hoſce affectus connaſci vult. Haec enim, quando eveniat, aequo ac caetera ſymptomata jure, ad aliam in ſyſtemate ante exiſtentem cauſam aſcribenda, quam in ventriculi imbecillitate ſeu atonia ponendam, valde probabile exiſtimamus. Nunc vero hancce opinionem, ſymptomatum ex conſideratione, cauſarumque remotarum operatione, ſtabilire nobis conandum.

Omnium

Omnium tamen, quae in hocce morbo occurrere possunt, symptomatum enucleationem, nec viribus nostris tenuibus, nec dissertationis hujusce limitibus, moliri convenit. Symptomata ergo praecipua tantum, magisve essentialia, quae in definitione antea tradita, hic considerare, jamjam in votis est.

Imprimis, De ANOREXIA. Ante vero quam de hocce aliquid proponere incipiam, summe necessarium videtur, causam cibi appetentiae consuetae naturalisque exquirere. De hac maxime apud medicos hodieque disceptatum; sed, omni de eorum sententiis disputatione omissa, nobis notandum venit, quod, in omni oeconomiae humanae functione, facile recognoscamus, omnes ejus actiones ad finem aliquem propositum implendum dirigi; quamvis, aliquando minus apposite accommodatas esse, appareat. Exinde, quin crederem appetitus naturalis conditionem, statu cum systematis generali, quoad plenitudinem et depletionem, maximum habere nexum, non facile equidem est. Nunc cum praecipua corporis evacuatio sit perspiratio, appetitus huic maxime conveniat necesse est; et quod systematis depletionem quamlibet, in fibris vasorum extremorum cuticularium, contractio sequatur aucta patet; quae cum actione ventriculi fibrarum muscularium fortiore proxime connectitur. Ex hac igitur non rite sustentata oritur illa molesta sensatio, cui appetitus plerumque innititur. Haec si ita sint, ut multis ex rationibus verisimillimum videtur; illico et inferendum, ex debilitate

litate debiliorique ventriculi fibrarum motricium actione, ortum ducere anorexiam. Hoc vero, ex causarum, quas hanc atoniam inducere compertum eſt, conſideratione, multo magis ſtabiliturus ſum.

Nauseam, prout anorexiae majorem tantum gradum, conſiderare licet. Ex inappetentia igitur ad cibi averſationem progredimur; paulo ulteriuſque hac procedente, vomitio ipſa accidit. Si haec vero extrema enodare poſſem, nauſea exinde haud dubie facilis intellectu fiet.

Ad Vomitus explicationem nunc accingamus. Pathologicis pleriſque omnibus, ex alicujus ventriculum directe ſtimulantis materiae, indeque contractionem ejus excitantis applicatione, vomitum provenire creditum. Sed bene nunc notum, " non ſolum impulſionem, aliaſque, quas motum producere putemus, cauſas idcirco in oeconomia animali motus excitare; ſed multas alias cauſas, etiam quae motum potius diminuere videantur, in ſyſtemate tamen humano motum adaugere. Sic multa animi pathemata quae motum primo diminuunt, nonnullae ex debilitate officioque ſuo fungendi difficultate ortae propenſiones, impreſſorum conſuetorum abſentia, evacuationes, aliaeque ſyſtematis relaxationis cauſae, frigus, potentiaeque narcoticae, omnes motibus, in oeconomia animali notatu digniſſimis, occaſionem praebent."

Ad hoc, in vomitus caſu, probandum, quem ab aegritudinis tantum perceptione, cui occaſionem dedit debilior ventriculi actio, ſaepe ſaepius cieri, cenſeo: quotidiana

quotidiana non desunt exempla, ubi ex sanguinis haud magna quantitate brachio extracti, in positura corporis erecta, animi inducitur deliquium; cui plerumque ventriculi aegritudo et vomitus sese comites adjungunt. In hoc exemplo, stimuli cujusvis ne minima quidem suspicio existere potest; facile enim vomitum evitare possumus, debilitatem, ex cerebri tensionis tam subitanea imminutione orientem, per positionem horizontalem, praeveniendo. Similis quoque operationis multae sunt aliae causae, quae in ventriculum magis immediate agunt. Sic multa in stomachum ingesta vomitionem provocant, etsi nullius vis stimulatricis, ne minima quidem ex parte, suspecta habenda; velut aqua tepida; quae in usu est omni populo. Quanquam enim ventriculi distentio, pylorique constrictio inde proveniens, symbolam suam conferant, attamen aqua tepida, in parva etiam quantitate, nonne potus nauseosissimus? Hoc vero praecipue accidet, si cum oleo blandissimo sit commista; nam, ad linguam tantum ipsam sic applicata, saepe vomitum ciebit. Ad probandum quoque, vomitionem ventriculi debilitate saepissime excitari, observatu dignum est, sedantia opium e.g. frequenter vomitum movere. Unde quidam asseruerunt, hominem magnis opii dosibus, vix tandem se de medio tollere posse; nisi enim affectio quaedam spasmodica, quae opium magna in quantitate ferre potest, simul adsit, per vomitionem plerumque rejicitur; nec hominum exempla, quos spes sic fefellit, desunt. Ab opii effectibus stimulantibus, aliquid e contra objici potest; et forsan non injuria. Operatio vero propria

ſeu peculiaris tantum eſt ſedativa. Multis quoque hominibus, in quibus debilitatis magnae clariſſima apparuerunt indicia, nihil pervulgatius, quam ad vomitum blandiſſimis liquoribus moverentur; acribus ſtimulantibuſque tamen, ſine ullo hujuſcemodi effectu, ſed omnino contrario propinatis, ut ab illuſtriſſimo Van Swietenio obſervatur: "In illis qui ardentibus ſpiritibus abutantur quotidie; miſeris enim his adeo ſaepe languet et friget ventriculus, ut, niſi ſpirituoſis his ſtimuletur, perpetuam nauſeam et vomitum pituitae tenacis faciat: Unde coguntur vel inviti in ſimilium uſu pergere." Ex hoc tamen non nobis eſt concludendum, emetica non ſaepenumero, vim propter ſtimulantem, agere; quanquam nobis multo probabilius videatur, plerumque ſenſationem moleſtam excitando, et forſan vi aliquali narcotica, vomitionem ab illis cieri. Sed, utcunque haec ſint, ſatis credo evincimus, vomitui occaſionem ſaepe ſaepius praebere debilitatem; eum igitur, ut dyſpepſiae ſymptoma, eodem ac anorexiam modo, conſiderare liceat. Ex hiſce, multum, ni fallor, mihi lubenter daretur poteſtas nauſeam quaſi generis ejuſdem conſiderandi.

Inflatio. Ex illuſtriſſimi Pringelii et M'Bride experimentis ingenioſiſſimis ſine dubio conſtat, omnem vegetabilis animaliſque miſturam, cum aquae quantitate neceſſaria ſuppeditatam, certoque in gradu caloris poſitam, ſua ſponte in fermentationem properare. Itaque, quin hujuſcemodi aliquid in digeſtione accidat, qua quibus veſcimur materiae ſunt permutatae, et in partes conſtituentes redactae, mihi incomprehenſibile. Praeſertim,

ſertim, quippe per maſticationem, et in ventriculo remoram, liquoribus ſunt commiſtae; ad quos pertinet, ipſis ad fermentationem non diſpoſitis, ut eam inducerent. Iſtam inter fermentationem, aëris multitudo in cibariis, ſtatu ſub fixo antea latitantis, facile extricatur; elaſticitatemque recuperat: Unde oriuntur inflatio illa et flatus, quibus ventriculi imbecillitate laborantes affliĉtantur. Sed, etiamſi aër hicce ex alimentis oriatur, ex quorum nonnullis producitur multo quam aliis major quantitas; attamen omnibus bene notum, ejuſmodi aliquid iis firma valetudine fruentibus perraro accidere, niſi vel ciborum nimia quantitas ingeratur, vel ingurgitentur adhuc fermenteſcentes liquores, ideoque aëre elaſticitate praedito pleni. Ex hoc, a pleriſque nunc conceditur, maximam hujus ſic extricati aëris partem, in maſſam alimentarem rurſus abſorberi, dum ſanus remaneat ventriculus; et itaque nulla occurrit inflatio. Ejus vero praeſentia ventriculi aĉtionis defeĉtum ſeu imbecillitatem certiſſime denotat. Facile enim percipiendum, aëris ſic extricati re-abſorptionem, magna ex parte, de ejus agitatione, et cum aliis ventriculi contentis, donec iis iterum coagmentandi occaſio naſcatur, perfeĉta commixtione pendere. Propterea, ubicunque ad gradum morboſum appareat inflatio, ſine dubio, debilioris ventriculi, contentis perfeĉtam commiſtionem haud efficientis aĉtionis, ſignum conſiderare oportet. Porro cum, ventriculi propter tunicarum debilitatem, compreſſionem multo minorem patiantur ingeſta, aër non ſolum majori quantitate ſegregetur, ſed etiam plus expandatur, quam ventriculi fortioris hominibus

hominibus necesse est. Ad hujus confirmationem a Dr Whytt observatum, canes, post nervorum octavum par, quo multi ad tubum alimentarem emittuntur rami, ligatum, borborygmis torminibusque magnopere affici. Iste quidem aër, ex reliquis ventriculi contentis effugiens, et in massam coalescens, ad superius ventriculi orificium surgit; et inde facilem non inveniens transitum, cardiae forsan propter constrictionem (etiamsi, quantum scio, anatomicis peritissimis sphincteri simile adhuc nihil inventum fuit) tandem molestae huic distentioni, inflationis nomine nobis insignitae, occasionem praebet.

Ab hujusce vero irritatione, plerumque ventriculi actionis inducitur inversio; cardiaeque constrictione hecce motu inverso superata, aër in oesophagum rejicitur; ex quo facile ab ore erumpit. Sic quod sub RUCTUS titulo enumeratur, explicandum.

RUMINATIO quoque, symptoma non infrequens, eodem modo facile explicatur. Nam, inter fermentationem, solidiores cibi partes, aëris propter extricationem, fluidis specifice leviores multo deveniunt: Itaque ad ventriculi orificium attolluntur, et hancce per viam, irritationem propter, motumque ventriculi inde inversum, vicinae istae propelluntur materiae, et ejusdem continuatione in os sursum promoventur. Haec quoque ad actionem ventriculi debiliorem demonstrandam censeo concurrere; non ex ciborum difficili solummodo solutione, sed praecipue signum contentorum imperfectae mixtionis quia praebet: Aliter enim in

massam

maſſam impellerentur materiae ſolidiores, quo ſolutioni data eſſet occaſio; rejectioque impediretur.

Cardialgiæ ſub titulo diverſis auctoribus comprehenſi fuerunt omnes ventriculi dolores. Omni vero de hac re controverſia in medium relicta, nobis obſervandum, per cardialgiam tantum velle moleſtam quandam, quaſi ex acrimonia cardiae applicata, ſenſationem, qualem perſentiſcere poſſumus ex acribus aliis ſyſtematis valde ſentientibus partibus applicatis, vel quae omnibus pernota nomine Anglicano Heart-burn. Haec equidem ab acrimonia quavis inſolita, orificio ventriculi ſuperiori applicata, originem trahere poteſt, praeſertim ubi paulo ſenſibilior ſit. Plerumque vero acrimonia acida excitatur; ut ex materiae, ſaporis plane acidi, ructu frequenti evidenter apparet. Quapropter, pleriſque ut aciditatis in ventriculo praeternaturalis indicium conſideratur. Haec vero, quod ex morboſo ventriculi ſtatu dependeat, patet. Nam, etſi maximae alimentorum portioni natura ſit aceſcens, et quanquam haud parva ciborum, acidae certe naturae, quantitas nobis ſaepe ingeratur; aciditatem tamen ſeu in ventriculo moleſtiam exinde oriri, perrarum eſt. Et, etiamſi nihil ſit communius quam in illorum ventriculis, qui vegetabilibus fere veſcuntur, aciditatem invenire; tametſi quaelibet hujus indicia in inteſtinis reperiri aeque infrequens.

Hinc concludendum liquet, idoneam per fluidorum quibus ſcatet tubus alimentarius admiſtionem, et forſan peculiarem propter aceſcentis alkaleſcentiſque alimenti mixturam, rurſus obduci acidum et evaneſcere.

Sed

Sed aciditas, ubi occurrit, debiliorem ventriculi actionem mea opinione certe denotat, qua non ſolum excretoria non tam valide emulgeri, et propterea fluida, ad acidum obducendum neceſſaria, non in quantitate ſufficienti effundi, et forſan vitiata; ſed etiam ex languidiore ventriculi actione, diutius in ventriculo detineri ingeſta, et idcirco in fermentationis gradum majorem progredi, omnibus palam eſt. In hujuſce illuſtrationem, plurima adduci queunt exempla, quibus, ex ventriculi ſchirroſitatibus, pyloro vicinis, tam coarctatus redditus fuit tranſitus, ut nulla ventriculi deorſum evacuatio inde permitti poſſet: His enim caſibus, ingeſta tam mirum aciditatis gradum acquirere, ut ab hiſce rejectis linteola etiam corroſa fuiſſe compertum ſit. Ex his, ni fallor, plane apparebit, aciditatem ventriculi ab atonia ortum trahere. Simulac enim cibi aliquantulum certum fluiditatis gradum acquiſiverit, ventriculo ſtatu in ſano permanente, bene novimus per pylorum ſtatim in duodenum detrudi; ubi ex bilis admiſtione aciditas aboletur, ulteriorque ad fermentationem acidam progreſſus impediretur.

Nunc de cardialgia, ex acida acrimonia oriente, verba fecimus. Sed, ex alia qualicunque acrimonia, ſeu cardiae aucta ſenſilitate, originem ducere poteſt. In omnibus tamen fere caſibus, eam, ut debilioris ventriculi actionis ſignum, conſiderare licet, qua, ut haec ad orificium ſuperius evadant, et ſic cardiam irritent, datur occaſio.

Gastrodynia multis equidem difficultatibus circumfuſa eſt; quoniam dolores inter ventriculi diverſos,

pathologicis

pathologicis distinctiones satis accurate minime sunt designatae. Non inepte forsan quatuor capitibus comprehendi possunt, vel ut ex inflammatione, inflatione, seu distentione, acrimonia, et spasmo, orientes. Hi revera saepe simul conspirant; si primo tamen separentur illi, quos comitatur pyrexia; postea iste ex distentione oriens, in quo dolor multo est diffusior; et denique cardialgia acrimonia orta; omnes ventriculi alios dolores, ut ex spasmo provenientes, considerari oportet. Hic vero spasmus, ut atoniae saepe occasionem praebet, ita debilitatem et atoniam, ut spasmi causas frequentiores, clarissimo cum Hoffmanno considerare licet. "Ut adeo perpetua haec sit microcosmica lex, in pathologicis studiose imprimis observanda, quod spasmus relinquat atoniam, et atonia vicissim spasmis ingignendis velificetur."

Nunc ad postremum considerandum symptoma progrediamur, viz. ALVUM PLERUMQUE ASTRICTAM. Tanta, hac in re, occurrit inter eos optima valitudine fruentes, differentia, ut non adeo accurate egestionum tempus determinari posset. Sed, si ullam liceat statuere mensuram, nobis probabile videtur, quod ingesta per anum horis plus minus viginti quatuor excernerentur. Ubi igitur intra viginti quatuor vel triginta sex horarum spatium accidit alvi nulla depositio, tunc alvus dicitur tarda, cui ex uberiore partis tenuioris absorptione plerumque adjungitur astrictio.

Quod ad hujusce causam attinet, etiamsi retardationem, magna ex parte, intestini coli propter structuram, oriri concedamus; attamen, ut nobis videtur, cujuslibet

juslibet inteſtinorum portionis motus illius mox antecedentis actione magnopere innititur; et, ut a motus periſtaltici conditione praecipue dependet foecum excluſio, quo tardior vel debilior ille ſit, eo ſegnius haec; quo citatior ille, eo citius haec procedit, et vice verſa. Hinc quare ex ventriculi actione debiliore, contenta per pylorum tardius expellente, et exinde duodeni actionem, de qua periſtalticus omnium inteſtinorum motus ſpecialiter pendet, non rite excitante, quod alvus plerumque ſequatur aſtricta, facile credo percipiendum. Sed et omnibus patet, hanc quoque ex inteſtinorum fibrarum muſcularium atonia, iiſdem ex cauſis ac illa ventriculi ortum ducente, originem trahere poſſe.

Haec de ſymptomatis dixiſſe ſufficiat; et etiamſi haec explicandi ratio penitus diverſa multis magis forſan arrideat, facile tamen atonia fere ſemper ut dyſpepſiae cauſa accipienda.

Nunc igitur ad CAUSARUM, quae ad hancce ventriculi atoniam, cui dyſpepſia plerumque innititur, inducendam, conſpirant, enumerationem progrediamur. Cauſas vero, quippe quae magnae ſunt diverſitatis, rite inveſtigandas, aliquo ſub ordine diſponere forſan haud abſonum foret. Hoc igitur efficere conati ſumus ſequenti in

TABULA.

TABULA.

I. CAUSÆ quae in ipſum ventriculum immediate agunt.

A. SEDATIVA ſeu NARCOTICA.

a. Opium.

b. Liquores ſpirituoſi.

c. Nicotiana.

d. Thea et coffea.

e. Acida, praeſertim fermentabilia.

f. Putrida.

B. STIMULANTIA.

a. Aromata.

b. Cibus plenior.

c. Vomitio frequens.

d. Violens purgatio.

C. TONICA.

a. Amara, &c.

D. RELAXANTIA.

a. Liquores calidi.

E. NIMIA VENTRICULI DISTENSIO, ex

a. Cibariis ingeſtis,

b. Aëre extricato.

F. STIMULORUM CONSUETORUM ABSENTIA.

II. CAUSÆ quae vel univerſum vel ſyſtematis alias partes primo afficiunt.

a. Animi pathemata.

b. Vita ſedentaria.

c. Mentis vel ad ſtudia vel ad negotia magna applicatio.

d. Temperies frigida, praecipue humiditate conjuncta.

e. Venus nimia.

f. Paturitio frequens.

g. Diſpoſitio hereditaria, &c. &c.

De hiſce ſingulis, aliquid, ex ordine, ut ſpeciatim proferrem, nunc procedendum; et quantum, ex rerum diverſarum in humanum ſyſtema, ejuſque in ſe invicem partium, operandi rationis inſcientia, in poteſtate eſt, quo ad dyſpepſiam inducendam conferre poſſunt, ut modum deſignarem, conandum.

Imprimis, conſiderandae veniunt quae in ventriculum ipſum proxime operationem habent; et hae forſitan, ut accuratius dicam, ſolummodo ſunt cauſae quae dyſpepſiae idiopathicae ortum praebent. Potentiora inter, memoratu digna ſunt SEDATIVA ſeu NARCOTICA, quae in ventriculum, fibras ejus muſculares immediate infirmando, agunt.

Huncce in modum, *opii* effectus haud omnino aſpernandus; ut pleriſque nunc medicis conceſſum, et illis, qui admodum libere utuntur, ſaepe expertum; ut Turcis qui magnam quantitatem quotidie ingerunt. Opium revera, ſicuti omnia alia narcotica, aliquo poteſtatis ſtimulantis ſeu tonicae gradu potiri videtur; ſed utrum ex peculiari aliqua materia conjuncta, an reactione quadam, ſi ut ſic dicam liceat, ab opii vi ſedativa inducta proveniat, haud cum certitudine aliquid ſtatuere poſſum. Effectus tamen ſedativi clare apparent, non ſolum fibrarum quibus proxime applicatur actionem ſpecialiter debilitando, ſed etiam totius corporis ſenſilitatem et robur diminuendo. Non infrequenter quoque opium, magnis in doſibus adhibitum, et longum per tempus continuatum, et corporis inſenſibilitatem inducere, et mentis quoque facultates imminuere, medicis compertum.

Liquorum

Liquorum spirituosorum seu fermentatione paratorum usum, vel potius abusum, in ventriculi tono destruendo, validissimas exserere vires, inter medicos fere omnes conceditur. Satis equidem, quotidiana ab experientia, comprobatur hujusce veritas; si enim doctori Cheyne habenda sit fides, ab hisce inter homines latius diffusa fuerat strages, quam a pulvere ipso nitrato. Hi revera, pari ac opium ratione, agere videntur; nam, etsi ab homine non admodum assueto modica copia ingestis major toti corpori concilietur vigor, et menti hilaritas; sedativa tamen haud aspernanda vi potiri videntur; et cum majori in quantitate vel ad ebrietatem assumantur, universi exinde systematis vires maxime debilitantur. Sed ventriculum praecipue affici plane constat, non solum spirituum vi narcotica, verum etiam ex nimia ventriculi distentione, et saepe acescente sive acida liquorum natura. Miserrima autem illorum est conditio, qui his quotidie indulgent; fatalis enim necessitas haec repetendi inde oritur. Nam sine his, ut a Cel. Van Swieten observatum, toti tremuli et ad omnia vitae munera inhabiles languent; sicque vel inviti, licet meliora videant probentque, ad haec denuo confugere coguntur.

Similes in ventriculi robur enervando, et dyspepsiam alendo, exserit vires *nicotiana*. Illi enim, qui magna in quantitate vel manducant, vel fumum tubo exhauriunt, appetitu prostrato, indigestione, &c. plerumque laborant. Hi equidem nicotianae effectus, multis, ex magno salivae dispendio, quod usum hisce in modis plerumque sequitur, oriri putabantur; et hoc equidem

multum

multum confert. Haud pauca vero adduci queant facta quae, mea opinione, vi sedativa considerationis haud indigna nicotianam potiri, plane monstrant; iidem enim effectus celeberrimo Culleno, aliisque, in iis qui manducant, tabacique fumum tubo exhauriunt, nihilominus salivam solito multo magis minime exspuunt, apparuisse dicuntur. Nec infrequens est, usui non assuetis occurrere anorexiam, nauseam, &c. Saepe quoque videndum in illis, qui tabaci pulverem naribus hauriunt, ex quo nulla oritur salivatio; si hujusce minima, quacunque ex causa, in ventriculum deferatur quantitas, mox cibi appetentiam inde labefactari, et vomitum, &c. cieri.

Ad dyspepsiam quoque inducendam, *theae* usum quotidianum non parum afferre, haud paucis existimatur; et maximo credo non sine jure. Nam, etsi noxios quosdam effectus, in illis robusta valetudine gaudentibus, exinde raro apparere observatum sit; in his tamen, temperie teneriore minusque robusta fruentibus, in ventriculi robur enervando, effectus valde sunt notabiles. Hos equidem in ventriculum et reliquum systema effectus, permultis etiam celeberrimis medicis, ad aquam calidam attribuendos esse videbatur. Sed nonnullis ex experimentis a Percival et Lettsom nuper editis, plane credo apparet, theam vi sedanti gaudere. Ad hoc ulterius probandum, medicis peritissimis, infusionis quantitate caloreque datis, effectus secundum impraegnationem diversos fuisse, aliasque materias in ejus locum substituendo, nulla talia effecta inde consequi, usu compertum. Adsunt quoque multi, qui thaeae

theae infuſionis ab unico tantum pocillo, magna anxietate, oppreſſione, et moleſtia circa praecordia, inſigni ſaepe haud ſine manuum tremore, plerumque afficiuntur; et tamen, ſocietatis gratia, multa aquae calidae pocula, cum ſaccharo lacteque, ullo ſine incommodo ebibunt. Ex hisce, celeberrimo cum Whytt, exiſtimo, merito conſentiendum eſt, ventriculi affectionum hodie frequentiam liberiori theae uſui praecipue attribuendam. Ille quidem in illa olim fuit opinione, quae noxia omnia theae effecta ex aqua calida ſolummodo derivari vult. Sed poſtea, experientia ſua edoctus, hacce de ſententia deceſſit. Eadem de *coffeae* potu obſervare licet, ut permultis exemplis comprobandum.

De *Acidorum* effectibus nunc mentio facienda. Nam, etſi pleriſque, acidum appetitus naturalis eſſe cauſam, putetur, et etiamſi quandoque ſtomachus inde acuatur; monſtrare tamen non valde difficile foret, acida, fermentabilia praeſertim, ventriculi etiamque ſyſtematis totius tonum debilitando, non aſpernandos edere effectus.

Solae nunc quae hoc ſub capite conſiderandae remanent cauſae, ſunt *putrida* quae in univerſum ſyſtema vires ſuas ſedatrices potenter exſerunt; et ad appetitum ſubvertendum materiae in ventriculo putridae praeſentia nihil efficacius.

Proximum cauſarum agmen, quae ut ad ventriculi debilitatem inducendam pertinentes, conſiderationi ſeſe offerunt, ſunt STIMULANTIA. Haec equidem, caute et tempeſtive uſurpata, tam longe a dyſpepſia producenda abſunt, ut ventriculi tonum roburque

magnopere

magnopere adaugeant, et morbo in debellando maximi ſint momenti. Sed ex uſu liberiore, ventriculi atoniam adaugeſcere, etiamque induci, bene compertum.

Hocce ſub capite primo enumerantur *aromata*; et his alia condimenta includere licet. Haec omnia ſyſtemati, et ſpeciatim ventriculi fibris, ſtimulum praebent; et, ſi verbis Gaubianis uti liceat, vim igneam, naturae humanae vix domabilem, habent. Scd, uſu ex aſſiduo, provenire ventriculi enervationem, experientia quotidiana ſatis confirmat; quomodo autem ad hanc producendam conferant, nec bene notum, nec explicare in praeſentiarum nobis conandum. Quamvis autem fibrarum muſcularium exercitatio ad earum tonum roburque adaugendum ſpectare videatur, certos tamen adcſſe denique fines, quod ad vires, durationem, et repetitionem, quos, ſi actio ultra progrediatur, ut moleſta debiliorque deveniat, et partium atonia tandem proveniat, neceſſarium eſſe, notandum. Hinc, perceptu non valde difficile, aſſiduum aromatum uſum, ſeu quicquid ventriculi nimiam exercitationem concitat, ad vires ejus debilitandas, notatu haud indignos exſerere effectus. Concludere igitur licet, quod *cibus plenior*, ſeu ingluviei conſuetudo, aliquos hujuſmodi effectus ederet; nec hoc quotidiana ab experientia confirmatione indiget. Illi enim qui divitiis affluentes largis quotidie fruuntur epulis, nec ſe ad labores credunt natos eſſe, perpetuis querelis medicorum aures fatigant, dum volunt vivere ſani, et nihil agere.

Frequentem quoque *vomitionem* hancce ventriculi imbecillitatem adaugere, vel etiam producere, ex experientia

perientia compertum. Emetica equidem hoc in morbo ſaepe maximae ſunt utilitatis; frequens vero repetitio plerumque noxia; ſalubreſque ex his provenientes effectus, pro repetitione, magis magiſque caduci fiunt, donec tandem ventriculi vires omnino ſubvertantur. Haec, ſine dubio, ventriculi nimiae exercitationi magnopere attribuenda ſunt. Sed ventriculi diſtentio, quae vomitionem plerumque comitatur, et forſan vis quaedam ſedativa, qua potiri emetica fere omnia videntur, ſymbolam ſuam conferant. Hocce ſub capite enumerata fuit *purgatio violens*, forſan non omnino proprie; cum in ventriculi viribus infringendis effectus, potius evacuatione ex magna, alvique conſtipatione inde ſequente, quam ullo ex ſtimulo, vel ventriculi exercitatione nimia, a catharticis proveniente, pendere videantur.

Nec, hujuſmodi effectus ex TONICIS remediis, veluti *amaris* longo pro tempore uſurpatis, haud infrequenter naſci, ſilentio praetereundum. Sed, ut morbum ex debilitate ſeu ventriculi atonia originem trahere, demonſtrare antea conati ſumus, quod haec inter ſe oppoſita multis primo conſpectu appareant, haud equidem mirum eſt. Attamen, res aliquando ſic ſe habere, quibuſdam ab exemplis, nuper extra dubium poſitum fuit. Et, ſi ſtimulantium effectus, hiſce tonicorum ſimillimos, conſideremus, hujuſce probabilitas multo facilior fiet; praecipue cum debilitatem, ſeu collapſum, quamlibet vis nervoſae, qua fibrarum motricium magnopere dependet tonus, nimiam exercitationem, ſecundum proportionem plerumque ſubſequi conceditur.

conceditur. Dubia forsan quaedam hic occurrere possunt, an haec aliquo in gradu non pronveniant a vi narcotica, qua, ut multi putant, tonica pleraque potiuntur.

Proxime confideranda sese offerunt RELAXANTIA, veluti *liquorum calidorum* frequens ingurgitatio. Ex experimentis Doctoris Robinson, quam aqua calida, nihil effectus magis relaxantes edere inventum; et sic medici fere omnes hodie opinantur. Celeberrimus tamen Pringelius dicit, se nunquam intelligere potuisse, quo modo, in caloris animalis medio, positae corporis partes, et perpetuo humidae, fluidis majorem suo calorem nequaquam habentibus foveri possint.

Hujusce equidem explicationem ingeniosissimam dedit Professor noster eruditissimus CULLENUS. Systema humanum, dum vita adest, viribus ad calorem generandum aptis suppeditari, omnibus credo satis notum. Haec caloris generatio qua proxime dependeat causa, adhuc inter medicos haud omnino convenit. Utcunque vero haec sit, valde probabile videtur, quod hicce calor, nisi certos inter fines ex portionis ad corpora circumfusa communicatione coerceretur, ad gradum multo majorem eveheretur. Atmosphaerae caloris gradus, qui huic corporum vi generatrici respondet, his in regionibus, circa sexagesimum secundum thermometri Farenheitiani gradum positus esse videtur; et haec coeli temperies nec frigida nec calida plerisque sentitur. Hinc facile percipiendum, quod omnis supra 62 caloris gradus (ad certam usque saltem rationem) talem caloris communicationem impediat, et ex hoc, omnes

caloris

caloris applicati effectus relaxantes vires generatrices exserant.

Praeterea, aquam frigidam potum pro usu nostro a natura designatum videri adjiciendum; et regionum meridionalium incolas, omni methodo, ut potum quam frigidum efficiant, uti, bene scimus. Igitur, ut potus frigidus maximos, ventriculum corroborando, et digestionem expediendo, effectus exserit, sic, e contrario, ut liquores calidi, ventriculi fibras relaxando, effectus notatu haud indignos edant, et ad dyspepsiam inducendam conferant, necesse est.

Altera quoque causa hic notanda est, nempe VENTRICULI NIMIA DISTENTIO, quam morbum saepe alere, et haud raro inducere, satis compertum; ut a Cel. Van. Swiet. observatur in helluonibus, qui, ingenti copia cibi et potus quotidie ingurgitata, ventriculum immaniter distendunt. Tandem toties distractis ventriculi fibris, omne robur perit, et postea tota vita languet ventriculi actio. Haec vero ventriculi distentio ex aëris cum alimentis assumpti expansione, et illa inter digestionem extricata, tam adaugescit, ut quandoque ventriculus appareat magnopere distensus.

Haec equidem praecipuae sunt causae, quae in ventriculum proxime agendo ad dyspepsiam inducendam conferunt. Sed, priusquam ad alterum caput progrediamur, necessarium duco, de quibusdam quae in ventriculum negative agere dici queant, mentionem facere; qualis CONSUETORUM ABSENTIA STIMULORUM, vel naturalium, vel factitiorum. Hic forsan mentio facienda esset de *alimentis in quantitate seu qualitate deficientibus*,

D

ficientibus, ut ad morbum producendum pertinentibus; sed hanc censeo causam esse rarissimam. Quibus tamen laute et opipare consuetudo est vivere, quando ad mensas sine arte paratas deveniunt, ventriculus inde gravissime aegrotat, et cibus maxima non sine difficultate peragitur. *Saliva* quoque et *liquores gastrici* ad ventriculi actionem pernecessarii sunt; et, si quandoque subtrahi seu vitiari accidat, ventriculus inde labefactatur. *Bilis* etiam in tubo alimentari praesentia seu absentia in ventriculum insignes habet effectus; et in Ictero, excretio ubi bilis in duodenum impedita est, indigestionem, aciditatem, aliaque debiliorem ventriculi actionem indicantia symptomata, sequi constat.

Alterum causarum caput nunc aggrediendum, quae in ventriculum ipsum non proxime agunt, sed ad totius aliarumve systematis partium actionem seu tonum enervandum conferunt; ex quo ventriculi actio, illam ob sympathiam quae ventriculum inter reliquumque systema intercedere videtur, magnopere afficiatur necesse est. Hoc de cerebro praecipue observare licet. Invenitur enim, quodcunque cerebri actionem vel excitationem insigniter diminuat, ventriculi debilitatem omniaque dyspepsiae inde orta symptomata, simul inducendi plerumque edere effectum. Ex his, vires, quas *animi pathemata*, praesertim deprimentia, exserere videntur, explicari haud valde difficiles. Nihil equidem citiores violentioresve in systemate nervoso debilitando edit effectus, quam pathemata reprimentia, ut metus, moestitia, &c. Sed, ex medicorum consensu, hi in ventriculi functionibus perturbatis plerumque apparent.

apparent. Haecce vero pathemata quomodo exserant vires, nisi cerebri actionem vel excitationem diminuendo, haud mihi in propatulo est.

Proxima notanda venit *vita sedentaria*, qua nihil ad ventriculi vires enervandas potentius agit. De hac nobis observandum est, systematis tonum, magna ex parte, a functionum diversarum actione pendere; et, ut verbis eruditissimis Gaubii utar, Nimia quies et potentias motrices, et quae movendae sunt partes, in torporem conjicit. Sed, prae caeteris, pessime afficiuntur quae in abdomine continentur organa primae digestionis; maxime si etiam prono corpori sedenti comprimantur, atque alimenti quantitas et qualitas non respondeat vitae desidi. Sed, etiamsi vitam sedentariam degentes haud pauci, multis ex rebus, hosce effectus effugiant; eam tamen morbum plerumque producere, vel saltem, causarum ad inducendum concurrentium operationem favere, omnibus patet.

Hi equidem effectus, ab illa *mentis ad negotia* seu *studia applicatione*, quae vitam sedentariam saepe comitatur, magis ingravescunt. Atque ad functiones sustentandas, etsi mentis exercitatio quam necessaria sit, apud medicos tamen convenit, nihil in systemate nervoso enervando, dyspepsiaque inducenda, quam studiis vel negotiis nimis diligenter incumbere, magis noxios edere effectus. Excessus tamen cum varietate studiorum tolerabilior est; at vehemens cogitationum in eandem rem intentio, non interrupta, rari sunt quibus non magnopere noceat.

Quod

Quod ad *frigidae temperiei* effectus attinet, obſervare licet, morbum hyeme quam aeſtate plerumque curatu difficiliorem; et ſaepe curabilem tantum aeſtatis acceſſu, vel in clima calidius pro tempore hyemali removendo. Et illos, qui ventriculi imbecillitate quadam laborant, ſi in frigidum pavimentum aliquo pro tempore nudis pedibus remaneant, cum anorexia et vomitu affici, haud raro invenitur. An frigus vero ad dyſpepſiam inducendam, vel ſyſtema nervoſum in univerſum debilitando agat, vel vaſorum extremorum cuticularium actionem ſeu tonum enervando, ex quo ventriculi fibrarum atonia ſequatur neceſſe, ulla cum certudine haud dicendum. Effectus tamen frigoris, *humiditatis* acceſſu, magnopere augeſcit; cum a viribus relaxantibus, quod omnia ex atonia orta mala adaugeantur vel inducantur, omnibus apertum. Aër igitur humidus, etſi quod ad frigus modum non ſuperans, eoſdem producere poteſt effectus. Nobis tametſi obſervandum, nihil ad ſyſtema corroborandum, actionemque ventriculi promovendam, aëre frigidiuſculo efficacius, dummodo exercitationis ſatis ſimul utatur aegrotans.

Nunc de *nimia venere* verba facienda, in ventriculo debilitando vires exſerere validas a Sanctorio dicta. Etenim ſummam voluptatem univerſalis excipit virium reſolutio, quae crebro ferri nequit, quin enervet; et, ex ſympathia, quae genitalia inter et ventriculum intercedit, atoniam hiſce ullo ab exceſſu inductam, aliquo in gradu, ad ventriculum communicari, plane patet. Cum autem nimia non numero ſit, ſed natura, ratione aeta-

tis

tis et corporis, ſeminalium veſicularum ſtatu, ſcire licet eam non inutilem eſſe, quam corporis neque languor neque dolor ſequitur.

Quod *frequentem parturitionem* ſpectat; etſi ſyſtema foemineum tam apte natura ſit fabricatum, ut ex parturitione provenientibus malis magnopere reſiſteret, et etiamſi plurimae ſint foeminae, quae natos haud paucos pepererunt valetudine inde non multum diminuta; ſi tamen effectus a graviditate in univerſum ſyſtema, ſed ſpeciatim in ventriculum, provenientes, animo habeamus; et ſi de magna ſanguinis quantitate, poſt puerperium plerumque amiſſa, cum methodo ſimul qua mulieres hoc tempore ſunt tractatae, multiſque aliis rebus, conſiderationem ſuſcipiamus; nullum oriri poteſt dubium, quin ſaepe, ſyſtema univerſum debilitando, effectus haud aſpernandos edat frequens parturitio. Sed, in ventriculi functionibus ſubvertendis, hi praecipue apparent effectus.

Hic forſan mentionem facere debemus, de certa ventriculi *diſpoſitione hereditaria* ex parentibus tranſmiſſa, qua ab hiſce ſupradictis cauſis facilius afficiatur. Sunt quoque multae forſan aliae cauſae, quae ad dyſpepſiam inducendam ſymbolam ſuam conferant. Sed, in praeſentia, non bene ſunt exploratae, multoque minus explicari poſſunt.

Praecipuis nunc ad dyſpepſiae deſcriptionem pertinentibus ſymptomatis explicatis, cauſiſque remotis pleniſſime conſideratis, percipi haud valde difficile videtur, in eandem ſententiam haec omnia concurrere. Ex hoc igitur ſymptomatum conſenſu, omnibus percep-

tum

tum iri exiſtimo, quam merito hicce morbus, his ſymptomatibus ſtipatus, ſub DYSPEPSIÆ nomine, in noſologia celeberr. CULLENI collocatus fuerit. Cujus ſupra alia, ſyſtematis praeſtantia, et quantum omnibus de medicinae ſtudioſis mereatur, cuivis lectori non poteſt quin clariſſime appareat.

De morbo tamen ullam certam diagnoſin tradere, haud omnino facile. Si enim dyſpepſiae ampliſſima ſubjicienda ſit notio, plerique corporis humani morbi ad eam pertinerent. Ciborum enim appetentia et concoctio in omnibus fere morbis multo diminutae ſunt. Hoc equidem a natura ſapientiſſime curatur; nam, ſi appetitus conſuetus comitaretur, repletio, multaque alia mala, inde conſequantur neceſſe. Sola, quantum ſcio, ullam diſtinctionem ſtabiliendi methodus, eſt morbum, prout a ſpeciali cauſa proxima provenientem, conſiderare. Ita, revera, multis a ventriculi morbis adventitiis, ſimul ſeparatur, ut a venenis, alimentis ingratis, crapulis fortuitis, &c. ortis; hiſce illam ventriculi permanentem debilitatem non omnino producentibus, quam cum morbo, de quo tractando occupamur, nexum adeo ſtrictum, ut ſeparari nequeat, habere exiſtimem.

Pauca de dyſpepſiam inter et hypochondriaſin diagnoſi adjicienda remanent. Si in diverſa medicinae ſyſtemata inſpiciamus, facile videre eſt, quanta hoc prematur difficultate; a pleriſque enim de hiſce morbis promiſcue tractatur. Hypochondriaſin autem, naturae valde diverſae, multis rationibus, probabile. Nam plurimi, ſive ſtomachi ſive inteſtinorum morbi, nul-

lum

lum hypochondriae affectionis ſignum praeferentes, obſervantur; et viciſſim affectiones hypochondriacae, abſque ſenſibili eorundem viſcerum paſſione. Sed, ſi ulla inter hos morbos diagnoſis inſtitui poſſet, quod tamen a multis pernegatur, optimam credo ſtabiliendam eſſe, ex hypochondriaſis definitione in Synopſi Culleniana tradita, viz. Dyſpepſia cum torpore, languore, metu, et triſtitia, in temperamento melancholico. De animi affectionibus vero obſervandum, quod, etiamſi in hypochondriaſi hae ſaepius occurrant, in dyſpepſia tamen haud raro quoque appareant. Antea plane mea opinione probatum fuit, ventriculi tonum a cerebri excitationis ſtatu magnopere affici. Sic, ſi ventriculi ex alia quacunque cauſa proveniat atonia, quod haec ſeſe viciſſim cerebro impertiatur, probabile videtur. In hypochondriaſi revera quin multa dyſpepſiae ſymptomata plerumque appareant, haud dubitari poteſt. Ex ATONIA tamen ſeu laxitate nequaquam originem trahunt; ſed potius ex nimio fibrarum tono, vel rigiditate, et ex ventriculi inteſtinorumque actione tardiore. Hypochondriaſis enim eos fere tantum adoritur, quibus corpora rigidiora, ſolidaque magis tenſa, ſunt; et qui ſyſtematis nervoſi torporem, et inſenſibilitatem, vel denique omnia temperamenti melancholici indicia, nacti fuere.

MEDENDI RATIO.

Ex ſymptomatum cauſarumque conſideratione, ab atonia ſeu ventriculi debilitate ortum ducere dyſpepſiam, extra dubium credo poſitum. In morbo igitur profligando, omnem ut huic atoniae obviam eatur dirigendam attentionem, dilucide liquet. Hoc perficere conandum,

1. Cauſis remotis quam maxime evitandis.

2. Certis quae morbum augere inveniuntur ſymptomatis mitigandis, vel, ſi poſſibile, amovendis.

3. Hiſce quae vigorem tonumque ventriculi reſtaurant remediis adhibendis.

Priuſquam vero de hiſce conſiderationem ſuſcipiamus, abs re non alienum obſervare, exiſtimo, quod, in dyſpepſiae tractatione, non, ut in pleriſque aliis morbis, ob oculos habendae ſint ſpecies ſolummodo idiopathicae; nec, niſi injuria, ſeparandae ſpecierum ſymptomaticarum conſideratio. Ex antea dictis, ſatis clare monſtratum, ab diverſis ſyſtematis partibus ad ventriculum atoniam plerumque communicari, indeque haud raro dyſpepſiam induci. Sic, e contrario, concludere licet, non tantum ventriculi atoniam, verum etiam vigorem, ad corporis partes fere omnes propagari poſſe, et adeo medelam, huic atoniae, ex qua ventriculi illa ortum traxit, praeſtandam. Et res ſic accidere revera inveniemus; haecce enim omnia fere

fere medicamenta, quae ad ſyſtematis univerſi, vel partium ejus diverſarum, tonum vigoremque reſtaurandum, aliquo modo proſunt; qualia cortex Peruvianus, ferrum, &c. fere tantum ventriculi canaliſque alimentarii tonum aſſiciendo, agere poſſunt.

Nunc vero ad inſtituta tranſeundum; et, imprimis, De cauſis remotis evitandis. Hoc equidem, etſi forſan magis idonee ut ad prophylaxin pertinens, conſiderari debet; ad Dyspepsiæ tamen curationem, nihil majoris momenti, non in ſpecie ſola idiopathica, quae ex iis proxime originem trahit, ſed etiam cum aliis ex ſyſtematis affectionibus proveniat: Nam dyſpepſiae ortui, ab hiſce concurrentibus cauſis, ſola quandoque praebetur occaſio. Omnes autem a ſolidorum debilitate provenientes morbi curatu diſſicillimi, et idoneo regimine, potius quam medicamentis, ſaepe curabiles. Ad hoc animum niſi advertamus, medicina frequenter ineſſicax. Praecipua vero regiminis pars ex cauſarum remotarum evitatione conſtat. De his adeo plene antea diſſeruimus, ut ulla nunc repetitio omnino ſupervacanea foret.

De Thea tamen, ut multis potu hocce pergrato abſtinere maximae foret diſſicultatis, obſervandum, quod multo tutius aſſumi poſſet, ſi ea pauca per momenta coquatur, quo materies illa volatilis, qua praecipue effectus proveniunt noxii, diſpergatur. In diſſertatione inaugurali, nuper Lugduni Batavorum edita, theam aqua in bulliente macerare, et infuſionem paucas poſt horas effuſam, prout res poſcit, calefacere, magnis effertur laudibus. A medico etiam e-

gregio Londinenfi affirmatum, ullo abfque incommodo duplum, hacce methodo, fefe ingurgitare poffe; quae ut moris eft praeparata multas certe moleftias induceret. Eodem cum confilio fubftitui poteft theae extracti in aqua bulliente folutio; multum tamen dubito, ne guftus ille perjucundus, quo thea plerifque tam gratiffima, hifce methodis depravatus fit.

Quod ad certa quae morbum augefcunt symptomata mitiganda fpectat; praecipua funt indigeftio, vomitus, aciditas, ventriculi dolores, et alvi conftipatio. Haec ex ordine confideranda, et imprimis INDIGESTIO. Nihil apud medicos communius, quam omnia dyfpepfiae fymptomata huic indigeftioni, vel ventriculi contentis vitiatis, attribuere, jamdudum facta fuit mentio; hujufce vero opinionis inftabilitatem demonftrare conati fumus: Et hanc indigeftionem, ut fignum ventriculi debilitatis, confiderari plerumque tantum debere, inde clare patet. Ubicunque vero ftomachi adfit impuritas, ut quae aliquid ad ventriculi debilitatem promovendam conferat, et medicamentorum ventriculo vigorem conciliandi gratia adhibitorum operationem impediat; hinc medicorum confuetudo eft, medelam ventriculo contenta evacuando aggredi. Effectus tamen, ex emeticis provenientes, multo majores ftabiliorefque, quam ex ventriculi evacuatione fola, oriri putarem: Atonia enim remanente, eadem mox reveniat impuritas neceffe. Sed, emetica, in ventriculo roborando, haud exiguos edere effectus, verifimillimum, non folum ventriculi fibrarum actionem excitando, fed etiam ad corporis fuperficiem determinationem

tionem adaugendo, et ſic vaſorum extremorum tonum reſtaurando; ex quo ventriculi tonus magnopere afficiatur.

Hocce propoſito, quibuſdam in uſu fuit, quae apud eos vomitio vocatur ſicca, fauces irritando, ut ad vomendum ſolummodo conatus excitarentur, moliri; et haud raro maxima non ſine utilitate. Multi tamen laboris eſt opus, et nobis non ſat eſt experientiae de eo aliquid ulla cum fiducia ſtatuere.

Quod emeticorum electionem ſpectat, omnino de conſilio noſtro pendet. Nam, ſi cum pleriſque ventriculi contenta evacuare tantum ſit in animo, optime conveniunt emetica mitiora; ſicut theae viridis, chamomel. cardui, rhaphan. ruſt. &c. infuſiones. Sed, ſi in propoſito tonum roborandi, et ad ſuperficiem determinandi, perſiſtere placeat, emetica fortiora, ut ipecac. vitriol. alb. antimon. &c. prorſus neceſſaria. Quomodo autem ſe res habeat, emeticorum tam frequens repetitio, quam pleriſque mos eſt, certe nullis nititur rationibus; ut enim ante obſervatum, morbum potius augeſcere invenitur. Haec de indigeſtionis auxilio in praeſenti dixiſſe ſufficiat; etſi forſan non ſine emolumento adhibere poteſt lene medicamentum, ut tinct. ſacr. ſeu rhei.

Vomitum ſymptomata eſſe inter moleſtiſſima quae dyſpepſiam comitantur, et haud raro medicorum etiam expertiſſimorum peritiam fallere, bene notum. Illam equidem ventriculi atoniam, de qua praecipue pendet dyſpepſia, emeticorum uſu ex frequenti, ſaepe adaugeſcere, jamjam probare conati ſumus; adeo, quin

quin hicce aliquos hujusmodi edat effectus, non mihi in propatulo est. Sic vomitus ubi perfrequens vel violentior, (tunc enim solummodo ullam attentionem huic specialiter impendi opus est), vomitorium lene adhiberi debet, ex acri si in ventriculo hospitante materia provenisse suspicari possemus. Maxima tamen cautela in regulae applicatione, VOMITUS VOMITU CURATUR, adhibenda. In dyspepsia vero, ad hancce vomitionem sistendam, nil saepe efficacius inventum vini seu spiritus vini Gallici haustu, vel paucis elix. seu spirit. vitrioli guttis; quorum posterius maximae ego ipse vidi utilitatis. In multis quoque casibus, cum omnia alia remedia nulli fuissent usui, opiata effectus exoptatos edidere, vel interne adhibita, vel in ventriculum, cataplasmatis forma, imposita. Nonnunquam vero emplastri epispastici ad epigastrium applicatione penitus profligatur vomitio.

ACIDITATEM ventriculi enervati effectum antea plane demonstravimus; et acida, sed praecipue acescentia, ad dyspepsiae symptomata adaugenda, aliquid conferre, plerisque in confesso est; a celeberrimo et Hoffmanno observatur, nocere quam maxime tam esculenta, quam potulenta acida, iis qui ventriculum habent infirmum. Hic tamen notandum, ex hisce tantum acidis vel acescentibus, quae aliquo fermentationis gradui sunt obnoxia, hos provenire effectus, quandam forsan materiam propter, fermentationem inter, extricatam. Etsi enim in universum acida vi quadam sedanti potiri videantur; acidis tamen mine-

ralibus

ralibus quae fermentationem potius impediunt, ventriculi actionem poteſtas eſt excitandi.

Ex hoc, ut alimenti vegetabilis maxima portio naturam aceſcentem habet, cibum animalem fere ſolum commendare generalis apud medicos fuit regula; et haud raro equidem, cum ad magnum ventriculi imbecillitas proceſſerit gradum, et quibuſdam ex cauſis ad fermentationem acidam maxime ſit propenſus ventriculus, hujuſce rei neceſſitas palum eſt omnibus. Multis tamen detrimenti non minimi eſt. Nec ſcorbuti inſignem ad gradum ex hac diaeta inducti exempla deſunt; et, quin fluida naturam magis minuſve alkaleſcentem, ſeu putridam, ſecundum cibum animalem, acquirant, mihi non facile credendum. Ab hac praeterea major nutrimenti ſuppeditatur quantitas, et plethorae ortui praebetur occaſio. Inde vero quanta proveniunt incommoda! Illam hinc cibi animalis commendationem coercendam, et dyſpepticis alimenti tantum vegetabilis, quantum ſine incommodo ferre poteſt ventriculus, aſſumendum, haud parum idoneum exiſtimo.

Hi equidem magnam panis bene fermentati quantitatem aſſumere debent, qui certum fermentationis gradum ſubeundo, et ignis actionem patiendo, fermentationis redintegrationi minus fit obnoxius. Atque non ſolum hic, ſed etiam radices et olera parva quantitate, plerumque aſſumi queant. Lac quoque, etſi ab aceſcentia non penitus tutum, cibo animali ſaepenumero cum emolumento ſubſtitui poteſt. Frequenter quoque experientia compertum, ventriculi debilitate laborantibus, per aeſtatem facilia ferri vegetabilia, etſi, hyberno vel

tempore

tempore verno, maximo non ſine incommodo hiſce uti potuiſſent. Hoc profecto illuſtrationem, ab exemplo a Cel. Culleno relato, medici arthritici cujuſdam, patitur; majori apud quem nihil fuit in gratia, quam vini Burdigalienſis (Claret) lagena. Per tempus tamen hybernum, et etiam vernum, ne minimam quidem aſſumere audebat quantitatem; ſed, quam primum Junii initium appropinquabat, libere impuneque hauſit. Multi etiam adſunt, qui, cum alvus bene ſe habeat, vegetabilibus uti poſſunt, ſed cum aſtricta nequaquam. Quaedam ſic tempora adeſſe, ubi cauſae remotae magis ſedulo quam in aliis evitandae ſint, dilucide liquet. Haec idcirco tempora quam ſtudioſe aegrotis obſervanda; et ex his, appetitu, et ventriculi vigore, cibi vegetabilis in uſu dirigendi.

Quod potum ſpectat; obſervandum, liquores pleroſque fermentatos, ut aceſcentiae ſunt obnoxii, et plerumque ſaccharatae, non bene aſſimilatae, materiae portionem continent, qua fermentationis renovationi praebeatur occaſio, nocere. Omnes fere hinc ex byne confecti liquores evitandi; quibuſdam vero cereviſia Londinenſis (ſeu Porter) optime convenit; illa praeſertim quae magnae vetuſtatis, et lupulis bene confecta. De liquoribus vinoſis, tenuiora omnia vina fugienda, et illa diu confecta, vel quae penitus ſunt fermentata, tantum utenda; ut Madeirenſe, quod, tranſmarinum calidiori ex regione veniens, fermentationis gradum ſufficientem ſubivit; quapropter ad fermentationem ineundam minus expoſitum eſt. Vel ſecundum alcoholis in iis contentam quantitatem, cui fermentationi

mentationi resistendi est potestas, seligenda vina. Hinc facile videndum, qua ratione vinum Portugalense vel Madeirense, vetustate edentulum, vino Burdigalensi et plerisque aliis anteponendum.

Hi profecto liquorum fermentatorum in ventriculi aciditate augenda effectus, cur hujusmodi omnes evitarentur, causa fuerunt, et in eorum loco aquae, spirituum parva quantitate commistae, usus substitueretur; quod proposito bene equidem accommodatum, fermentationi quippe non omnino obnoxium, sed potius resistens. Ut antea tamen observatum, in ventriculi tono destruendo, spirituum usu perfrequenti nihil majores exserere vires; sic, in hujusce longum per temporis spatium liquoris usu perseverare, sine dubio evitandum; et ad vini usum, sicut vegetabilium, ubicunque causarum remotarum ex absentia, ventriculique vigore, fieri potest, dyspeptici reducendi.

Nunc, quantum hujus instituti ratio sineret, diaetae, quae in hoc morbo nobis ad aciditatem praeveniendam maxime accommodata videtur, lineas exteriores notavimus. Sed quoque, cum in ventriculo adsit aciditas, hanc mox corrigendi nobis est potestas. Hoc equidem terris absorbentibus, aqua calcis, salibus alkalin. sapone, &c. perfici potest.

Prima inter absorbentia, *magnesia*, ex qua cum aciditate in ventriculo hospitante coalita provenit sal medius, alvum leniter fere subducens; dum illi, ex aliis orientes, effectus omnino contrarios edere quibusdam existimantur. Hoffmannus vero peritissimus, de magnesia disserens, ait, " Neque tamen praeterire possumus id incom-

modi

modi nos quandoque ab hoc magnesiae pulvere deprehendisse, quod flatulentias et morsicationes in imo ventre reliquerit, si frequentius in usum trahatur; primaque regio progignendis corrosivis succis, ut in hypochondriacis fieri solet, exposita sit." Haec tamen contra magnesiae usum multum non valent. Magnesia enim acidum in ventriculo hospitans tantum mutat; non omnino morbi tollit causam ex ventriculi atonia originem trahentem, qua alimentis probe concoquendis impar fit. Sed quibusdam in casibus, magnesia, magna in quantitate data, alvum justo crebrius subducendo, ventriculi canalisque intestinalis debilitatem augere potest; et, ut ab experimentis Professoris eruditissimi Doct. BLACK, absque dubio probatur, magnam aëris mephitici quantitatem in magnesiae cum acido conjunctione extricari; hoc forsan aliquid conferre potest ad observationem Hoffmannianam explicandam. Nondum adhuc quoque certi sumus, annon sal, ex magnesia et ventriculi acido compositum, vi refrigerante seu sedativa polleat, prout de quibusdam salibus medicis observatur. Haec si ita sint, cautela in hujus remedii usu opus est; nec alienum foret, aromatici cujusdam aliquantulum admiscere, quod leni gratoque stimulo ventriculi vires excitaret.

Aquam calcis haud minimi momenti effectus, non solum aciditatem absorbendo, sed etiam in ventriculo pituitam viscidam liquefaciendo, et ventriculo vires conciliando, edere inventum, ut a Doct. Whytt observatur.

Eodem

Eodem modo, *salium alkalinorum*, praecipue *causticorum*, quae, in nephriticis arthriticisque affectionibus, ventriculi statum emendando, praestantissimos producere effectus nuper observatum, explicanda operatio. Alkali equidem causticum, aërem mephiticum in fibras omnes animales vires narcoticas exserere potentissimas, plerisque, et non injuria forsan, creditum, absorbendo, insignis esse utilitatis putabatur. Hujus tamen aciditati obviam ire adhibiti effectus, aëris ex absorptione provenientes, nihili existimo. Ex conjunctione enim cum acido aeris absorptio impediretur, et quodcunque ab alkali ante absorptum fuerat expelleretur, necesse est. Hoc vero aliis alkalinis anteponendum puto. Illis quippe continetur magna aëris vis, qui ut cum acido inter coalescendum expellatur necesse; et sic, vel ab aliqua aeris extricati vi sedativa, vel a distentione inde proveniente ventriculi imbecillitas adaugescat.

Ad ventriculi aciditatem corrigendam magnopere in usu fuit *sapo*, ex oleo conflatus, cum alkali caustico conjuncto, quod ex oleo, acido occurrente, separatum, salem conficit, quo et oleo forsan alvus leniter plerumque subducitur.

Observatur tamen, ex horum alkalinorum usu, quod in fluidis induci posset acrimonia alkalescens, magnaque morborum cohors inde proveniens. Hujus exemplum pernotabile celeberrimo Huxamio memoratur. Etsi vero non negandum, ex eorum usu quotidiano, longumque per tempus continuato, hos provenire posse effectus; ex his tamen, ut aciditati obviam irent, adhibitis,

hibitis, hujusmodi aliquid oriatur, non omnino credendum. Maxima nam ad ventriculi robur restaurandum dirigenda est attentio. Plurima etiam adduci queant exempla, haecce ubi medicamenta longo pro tempore apud calculosos usurpata fuerunt; nihil tamen incommodi eorum ex usu deprehenso. Alkali equidem major quam ad acidum saturandum sufficiat quantitas adhibita in ventriculum, ut stimulus, agere potest. Sed hic, modum non superans, utilis potius fiet.

Nunc ad VENTRICULI DOLORES considerandos procedendum. Hos autem, ut ex acrimonia, inflatione, et spasmo, provenientes, notavimus. Posteriora duo magis forsan proprie ad unicum spasmi caput referri debent. Nam, quomodo nisi spasmis canalis alimentarii partes diversas afficientibus detentus sit aer, accidere possit inflatio, nobis non facile perceptu. Quod cardialgiam ex acida acrimonia plerumque ortum ducentem spectat; ei, hisce remediis, quae jam ut ad aciditatem praeveniendam utilia memorata sunt, subvenitur. Si vero a nimia cardiae sensilitate, ex muci naturalis abrasione orta, proveniat, cum emolumento adhibenda demulcentia et opiata. Sed, ubi ructibus ex nidorosis in errore fuisse acrimoniam alkalescentem seu putridam videatur, omnia, quae ventriculi aciditatem augescunt, quorum pars maxima antea fuit designata, utenda.

Hisce tamen connexa, quomodo nescio, ventriculi motus inversio, contenta contra cardiam impellens, saepe obvenit. Ex hoc intellectu non difficile, quare huic *aromata* seu *stimulantia*, ventriculi actionem excitando,

tando, contentaque deorſum impellendo, medelam crebro praeſtent. Haud raro etiam, cardialgiam ab iis adaugeſcere, inventum; quod forſan a volatili quadam materia his emiſſa, cardiamque irritante, quo ventriculi motus inverſio inducitur, provenit. Hóc modo, aromatum in flatu expellendo effectus forſan explicari poſſunt. Etſi enim aër, ſaepe, magna quantitate extricatus, ſuperius prope ventriculi orificium innatet, a cardiaeque ſpaſmo ſeu conſtrictione illic detineatur, quibus equidem caſibus, aromatica, ut antiſpaſmodica, aëris ſic incluſi expulſioni occaſionem praebentia, conſiderari debent; ſatis tamen notum, in iis optima ſanitate ventriculique vigore gaudentibus, quibuſdam ex aromaticis ſemper fere provenire flatus ſurſum expulſionem.

In his quoque ventriculi doloribus ſpaſmo ortis, ut Gastrodynia, aromata frequenter maximae ſunt utilitatis. Hinc a pleriſque vires exſerere antiſpaſmodicas exiſtimabantur. Res tamen magis perſpicue explicari poteſt. Spaſmum ſaepenumero de atonia pendere, ante mentionem fecimus. Debilior vero ventriculi canaliſque alimentarii portionibus particularibus actio contingens, partium ſuperiorum actione adaugenda, eorumque contentis impellendis, ſolummodo debellanda. Hinc, quare aromaticis, ſicut aliis ſtimulantibus, praeſtanda ſit medela, facile videndum. Hoc, ex parte, propoſito, ſimulque, prout antiſpaſmodica, et maxima revera non ſine utilitate, adhibentur alkali volat. moſchus, aether vitriol. gummi foetida, &c. Opium equidem praecipuum efficaciſſimumque remedium. Cautela tamen opus eſt, ne uſu perſrequenti

ti ventriculi atonia, aliaque dyſpepſiae ſymptomata, inde augeantur.

Poſtremum, de quo aliquid ſpeciatim proferrem oportet, ſymptoma, eſt ALVUS ASTRICTA. Hanc vero canalis alimentarii contentorum retentionem ex inteſtinorum fibrarum muſcularium actione debiliore et atonia, vel ex ventriculi atonia ortum primo ducente, vel ex cauſis ipſis proxime applicatis proveniente, pendere, antea ex dictis ſatis clarum exiſtimo.

Atonia profecto haec, quacunque ex cauſa orta, in ventriculi debilitate augenda vires fortaſſe viciſſim exſeret: Et dyſpepſiae ſymptomata alvi conſtipatione deteriora ſaepe reddi invenimus. Ut huic igitur obviam eatur, maxima adhiberi debet attentio. Omnis tamen purgatio certe evitanda; quoniam in inteſtinis debilitandis multum conducere invenitur. Huic conſilio, *fructus aceſcentes*, necnon *manna*, et id genus alia, propter ad fermentationem proclivitatem, minus accommodata videntur.

Sales neutri haud raro ad hocce implendum adhibentur; et, quando parvis ſaepeque repetitis portiunculis alvus leniter ſubduci poteſt, cum emolumento forſan utendi ſunt. Hoc vero efficere non omnino facile; vel enim nimios, vel haud ſufficientes, plerumque edunt effectus. Nec *acribus* ex *catharticis*, eodem modo adhibitis, plus ſperandum. De *magneſiae* et *ſaponis*, ad alvi conſtipationi obviam eundum, uſu, jam ante tractavimus.

Rhabarbarum in huncce finem a pleriſque in uſum frequenter advocatur; et revera effectibus non

fine

ſine praeſtantiſſimis. Rhabarbarum autem in ore manducare, ſuccumque lente ſorbere, conſultiſſimum videtur. Hoc quippe modo, vix apparent effectus purgantes; ad alvi tamen conſtipationi occurrendum plerumque ſufficit. Ex amaritudine quoque, ad ventriculi robur reſtaurandum, aliquid collaturum eſſe, dilucide liquet.

Oleum ricini (remedium in uſum nuper vocatum) hoc ad efficiendum ſatis commode adhiberi poteſt; parva enim copia alvum leniter tantum ciet, abſque tamen ulla purgatione inducta. Adſunt praeterea medicamenta nonnulla, quae in craſſa potius, quam tenuia inteſtina, agere videntur; exinde magnis inteſtinis contenta ſolummodo evacuant, etiamque, magna ſi doſis adhibeatur, vix plus faciunt. Haec inter, enumeranda veniunt, *aloe*, quam vix concoqui poſſe bene notum, nec non *ſulphur*, cujus in ventriculo ſolutio chymica non facilis equidem explicationis. Poſt ejus tamen uſum, haud raro ructus, odoris vapori ſulphuris in menſtruis alkalinis ex ſolutione provenienti ſimillimi, obſervantur. Haec equidem ad alvum conſtipatam ſubducendam utiliſſima, et a plurimis hocce cum propoſito adhibentur.

Nunc vero, ſymptomatis vehementioribus, methodiſque haec mitigandi deſignatis, remediorum ventriculi tono accommodatorum conſiderationem aggrediamur. Imprimis forſan haud alienum, in haec, quae in ventriculo ipſo roborando proxime agunt, et in illa, quae vel in univerſum vel alias ſyſtematis partes vires exſerunt, remedia dividere.

Priorum,

Priorum, quae adhuc commemoranda, (multa enim ſymptomata diverſa percurrendo jamjam conſideravimus), SALINÆ ſunt SUBSTANTIÆ, et AMARA. Sales in univerſum, ut alkalinos, acidos, et neutrales, (hiſce ſub poſtremis, metallicis terreiſque comprehenſis), conſiderare licet.

De *Alkalinorum* ad aciditati occurrendum uſu mentionem antea fecimus. In ventriculi etiam viribus excitandis, vigoreque adaugendo, effectus non minimos edunt. In praeſenti tamen, ex rationibus ſupra dictis, non multum invalet uſus.

Acida, in hoc propoſitum, haud infrequenter, nec injuria, adhibentur. Haec vero ſolummodo, fermentationi non omnino obnoxia, uſurpanda, facillime apparebit. Hinc, apud medicos fere omnes, in uſu ſunt acida foſſilia. Hodie vero, nihil majori laude floret, quam vitriolica, aromatum portiuncula adjecta, ſub elix. vitriol. forma. Haec equidem aromatum additio ſaepe haud inutilis; et huic medicamenti ſpeciem praebet. Haud paucis vero ita fit ingratum, ut acido ſimplici, qualis ſpirit. vitriol. ten. uti neceſſitemur, cujus 15 vel 20 guttae vehiculo quodam proprio bis terve de die hauriri poſſint. Acidum nitroſum, quoad cognoſcimus, adhuc haud omnino in uſum advocatum. Nec muriaticum nunc magnis, ut olim, effertur laudibus. Aderat tamen praeparatio, tinct. aperit. Meibei nomine donata, multumque, vires ob ſtomachicas, celebrata. Hanc autem, quam ſalis digeſtivi ſolutionem, cum acido praedominante, nihil aliud eſſe, ſine dubio compertum eſt. Sequenti comparata fuit modo; ſalem

nempe

nempe tartari, ſeu vegetabile aliud alkali, acido muriatico ſaturando, exindeque acidi ultra ſaturationem copiam addendo; quod, cum roſarum rubrarum infuſione, iſtam efficacem elegantiſſimamque edidit tincturam. Haud neceſſarium attamen videtur, hancce ut formulam obſervaremus; ſal quoniam communis, ammoniacuſve, cum iiſdem ſtipatur effectibus.

Acidum, ex vegetabilibus deſtillatione adeptum, iiſdem optime inſervit propoſitis; cum enim fermentationis ſit incapax, aeque tuto et commode ac foſſilia adhiberi queat. Hoc profecto, ut panacea, magnopere celebratum fuit, forma ſub *picis liquidae aquae*, per Doctorem Berkley epiſcopum Cloynenſem, in uſum vocatae. Picem liquidam, oleum eſſe empyreumaticum, ex abiete vel pino deſtillatione per deſcenſum, ut lingua alchymiſtarum utar, obtentum, bene cognoſcimus. Cum oleo vero deſcendit liquor acidus aquoſus, cui pleraeque debentur aquae piceae virtutes. Huic opinioni magnopere favet, quod picem Norvegianam Novae Anglicanae praetulerit epiſcopus. Sola enim inter eas notabilis eſt differentia, quod ex illa, quam ex hac, major acidi copia interſit. Liquorem etiam acidum, per ſe, omnes ab aqua picea exſpectandas vires commodius poſſidere, medicis a peritiſſimis aſſeritur.

Sales inter neutros pauci, *ammoniaco, communique* exceptis, magnos in hoc caſu edunt effectus. Communis equidem ſalis cupidinem nobis natura inſeruit, partemque in univerſum alimentorum efficit. Hunc enim fibras animales potentiſſime ſtimulare, commonſtrant

Dr

Dr Smyth experimenta. Idem de ventriculo dici queat. Tonum enim ventriculi appetitumque adauget, et saepenumero efficacissimus evadit antiemeticus.

Salina nunc memoranda solummodo sunt *metallica*, praecipueque ferro praeparata. Chalybs vi haud aspernanda tonica pollet, qualitate sine ulla, quantum deprehendere possumus, noxia. Hinc praeparationes ejus multifariae. Utram autem aliis praeponere, haud omnino certum. Attamen quoniam pleraque metallica in systema, priusquam in statum redactae sint salinum, agere non possunt, in illo statu chalybem tenentes praeparatus anteferendi. Ferrum tamen, ut in aquis mineralibus diffusum, efficacissimum ad systematis tonum restaurandum, nec injuria, habetur; aqua enim frigida ipsa, ad ventriculi sordes eluendas, tonumque augendum, nihil potentius.

Variis in hoc morbo plerumque usitatis salinis jam expositis, ad AMARA nunc pervenimus. De horum operatione difficultates multifarias enodare, nobis non conandum; utut vero sit operandi modus, ea ventriculum corroborare, appetitum acuere, digestionem promovere, extra dubium est. Horum equidem magna adest varietas; qualia radix columb. gentian. cortex Peruvian. fel bovinum inspiss. herbae chamomel. absynth. centaur. min. &c. Quibus, quae pergrati saporis aromatici, una cum amaro, subjungenda, ut cortex aurant. cinnam. &c.

Haec in vino quodam meraciori maceranda; si vero ventriculo acescant, in aqua bullienti, cui denique aqua quaedam, vel tinct. spirituosa aromatica, addenda;

addenda. Jam ante vero obſervatum, amara diutius continuata ventriculi robur haud raro ſu[illegible]ere; quare, ubi haecce remedia in longum temporis ſpatium, ad medelam obtinendam, continuari debeant, hebdomadam per unam alteramve omittenda; eorumque loco aquis mineralibus uti conſultius duco.

Nunc de remediis in univerſum ſyſtema agentibus, quorum praecipuum eſt *exercitium*; abſque cujus ope, omnia alia remedia ſaepe vana fiunt. Exercitium magnos, ad ſyſtema, praecipueque ſtomachum, firmandum edit effectus. Fluidorum enim circulationem promovet, perſpirationem auget, tonum vaſorum extremorum cuticularium roborat; ſtrictumque ob nexum ventriculum inter et cutim, robur inde propagari neceſſe eſt. Hinc appetitus ille, exercitium plerumque concomitans. Maxima tamen adhibenda cautela, ne huic nimis indulgeatur: Effectus enim exercitii inde omnino fiunt fruſtranei. Notandum etiam, exercitationem cibum ſemper antecedere, et ad levem ſudorem aut laſſitudinem, nunquam ad fatigationem, protrahi debere. Varias inter exercitii ſpecies, ambulatio et equitatio optimae videntur: Praecipue haec; eo quod concuſſionibus iteratis in thoracem et viſcera abdominalia ſpeciatim agit.

Quando autem animi adſit depreſſio, eodem ſemper itinere non equitandum; ſed, ut major objectorum fiat diverſitas et oblectamentum, et in negotio quodam, praeter ſanitatem, cujus reminiſci ſemper ingratum, qualia, longum iter, agri gubernatio, ſemper occupetur neceſſe eſt. Pro certoque habeo, levamina, dyſpepticis ab aquarum mineralium potu profluentia, itineri conſortioque grato, potius quam aquis ipſis, deberi.

Sin autem ab aegrotis haec ferri nequeant, in rheda

vehi,

vehi, asperam praecipue per viam, aut navigare, commode substituuntur: In observatis enim est, homines meliore frui sanitate navigandum inter, quam alias. Appetitus quoque acuitur, perspiratioque ab alvi astrictione copiosior reddi videtur; cui tamen remediis alvum leniter subducentibus occurrendum. Haud minimi etiam est momenti, in clima calidius peregrinari. Ab ingenuo tamen GREGORIO notatum, vel in frigidius navigare utile esse. Ubi vero, ob aegri debilitatem, nec unum nec alterum admitti queat; corporis, praecipue praecordiorum, ex frictionibus cum lanulis aromaticorum vaporibus impraegnatis, felicissimi saepe proveniunt effectus. Indusio laneo quoque vestiri, per tempus hyemale praecipue, magni est levaminis.

Lavatio frigida nunc solum restat. Antea annotavimus, aerem humani corporis temperiei inferiorem ad systematis sanitatem pernecessarium; exercitiumque in aere frigido, quam in calido, ad systema corroborandum efficacius, eo quod perspirationem reddat valentiorem, bene notum. Ex hisce, balneum quare frigidum, ad systema firmandum, praesertimque ad vasorum cuticularium actionem suscitandam, quod ex calore usum ejus subsequente clare demonstratur, tantum valeret, facile equidem perceptu. De ejus vero in stomachum effectibus aliquid ulterius proponere haud necessarium existimo. Illud denique, in omnibus stomachi vitiis praecipiendum est, ut, quo modo se quisque aeger refecerit, eodem sanus utatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi iisdem defendatur secunda valetudo, quibus reddita est.

FINIS.